

tur: *Favorabiliores rei potius quam actores habeantur.*

(27. Si actor semiplene probaverit, reus autem nihil præstiterit, et sint ambo æque legales, tunc juramentum est actori, et non reo deferendum. Jason in repetit. l. *Admonendi*, n. 314, ff. de jurejur.; Menochius lib. II de Arbitr. Judic., cas. 119, n. 19 et 20; Pirhing. lib. II Decret., tit. 24, num. 90; Reiffenstuel ibid., n. 195; Fachineus lib. I Controvers. jur., cap. 18, et alii. Et ratio est, quia cum reus, ut supponitur, nihil ad suam defensionem præstiterit, sed solum verbis, actoris intentionem negaverit, actor vero ipsam suam intentionem semiplene probaverit, iudex debet induci ad opinandum melius, et potius esse jus ipsius actoris quam rei. Unde cum reum absolvere non possit nec debeat, ex quo per semiplenam probationem actoris contra ipsum sit pene convictus; neque ipsum reum simpliciter condemnare possit et debeat, ex quo actoris intentio non est plene, sed solum semiplene probata; debet iudex ex probationis inopia causam jurejurando actoris decidere, textu expresso l. *In bonæ fidei* 3, cod. de rebus creditis, ibi: « In bonæ fidei contractibus, nec non et in cæteris causis, inopia probationum, per iudicem jurejurando causa cognita res decidi oportet. »

(28. Si non omnia sint paria ex parte actoris et rei, relinquatur iudici, ut exacte perpensis personarum et causæ circumstantiis, cuiam parti juramentum deferre debeat, prudenter resolvat, arg. cap. *Juramenta* 36, de jurejurando § *Sane*, Glossa ib. verb. *in probatione*; Abbas ib., n. 9; Joann. num. 6; Reiffenst. loc. cit., n. 197, et alii Andr., passim.

(29. Quando actor plene probavit suam intentionem, reus est condemnandus, nec tunc est locus juramento suppletorio, cap. *Sicut* 2, et cap. *In præsentia* 8, de probationibus; et *communis doctorum*. (30. Quando autem actor nihil probavit, absolvendus est reus, etiamsi is nihil præstiterit, nec tunc opus est ut reus juret: l. *Qui accusare*, cod. de edendo, c. *Cum Ecclesia* 3, § *fin.*, de causa possess., et cap. *Juramenta* 36, § *Sane*, de jurejurando, ubi sic præcise statuitur: *Sane si actor omnino in probatione defecerit, reus debet (etsi nihil præstiterit) obtinere.* Et in ejus summario sic dicitur: *Actore nihil probante, reus est absque onere absolvendus.* Sic doctores communiter.

(31. Juramentum litis decisorium voluntarium libere potest recusari, adeo ut nec sit opus illud referre alteri parti Glossa in l. *Jusjurandum quod ex conventionione*, ff. de jurejurando, verb. *Non potest*; Jason ib., n. 1; Abbas in cit. c. *Juramenta*, n. 1; Reiffenstuel lib. II Decr., tit. 24, n. 221; Vallensis de Jurejurando, § 5, n. 1, et alii passim. (32. Tale enim juramentum, cum sit omnimode voluntarium, nequit deferri, nec referri in invitum, arg. l. I, II et III, de jurejur. Nisi forte inter partes jam fuerit conventum quod una earum determinate

juret; tunc enim ab ea præstandum est Juramentum, alias succumbet, adeo ut, si illa nolit postea jurare, sed velit juramentum alteri parti deferre, istud deferre non potest, l. *Jusjurandum quod ex conventionione*, ff. de jurejurando, ibi: *Jusjurandum quod ex conventionione extra judicium defertur, referri non potest.* Tale enim juramentum extrajudiciale, quamvis a principio sit voluntarium, tamen ex prævia conventionione, seu susceptione redditur necessarium, juxta illud vulgatum: *Quod a principio est voluntatis, ex post facto fit necessitatis*; atque patet ex l. *Sicut* cod. de action. et obligat., et l. *In commodato*, § *Sicut*, ff. commodati, et facit regula 85 juris in 6, ibi: *Contractus ex conventionione legem accipere dignoscuntur*; et sic tenent doctores citati.

(33. Juramentum judiciale, quod, iudice approbante, a parte parti defertur, nequit libere recusari, sed pars cui delatum est debet, aut jurare, aut juramentum referre, aut solvere: l. *Jusjurandum* 34, § *Ait prætor*, ff. de jurejur. ibi: *Ait prætor cum a quo jusjurandum petetur, solve, aut jurare cogam. Alterum itaque eligat reus, aut solvat, aut juret.... Datur autem et alia facultas reo, ut, si jurabit, referat jusjurandum*: et concordat l. *Generaliter*, § *Sin autem*, cod. de rebus credit. et l. *Delata*, cod. eod. Et ratio est, quia, ut expresse dicitur in l. *Manifestæ* 38, ff. de jurejurando, *Manifestæ turpitudinis est et confessionis nolle nec jurare, nec juramentum referre*: Et sic tenet Glossa communiter recepta in c. *Juramenta* 36; de jurejurando, verb. *A te*.

(34. Excipitur tamen actio famosa, ut est actio furti, et hujusmodi. Nam conventus actione famosa non potest hujusmodi juramentum referre, textu expresso in cit. c. *Juramenta* 36, de jurejurando, § 1, ibi: *Nec liceat convento famosa actione referre hujusmodi juramentum* et concordat l. *Marcellus*, § *final.*, ff. De action. rerum amotar., et l. *Ideo Labeo*, ff. eodem. Et ratio est clara, quia conventus actione famosa, verbi gratia, quod gemmam vel anulum abstulerit, melius præsumitur scire veritatem quam actor gemmam seu anulum hujusmodi repetens. Unde jure merito taliter conventus non permittitur juramentum sibi ab actore delatum eidem referre, cum talis reus certo sciat an gemmam seu anulum alteri abstulerit, quod actor tam certo scire non potest, cum dentur gemmæ et annuli multum sibi similes, adeoque non posset adeo certa et tuta conscientia jurare; et sic dicendum venit de conventis super aliis criminibus infamiam irrogantibus; melius enim ipsi præsumuntur scire veritatem, scilicet, an commiserint illa crimina nec ne? quam actores seu accusatores eorum.

(35. Juramentum litis decisorium necessarium, seu a iudice parti delatum, sine justa causa recusari non potest, nec etiam alteri parti deferri, et si secus fiat, tunc illud recusans habetur pro convicto c. *Juramenta* 36, de jurejurando, et l. *Generali*

ter 12, § *Sin autem*, cod. De rebus creditis. *Est communissima.*

(36. Justæ autem causæ recusandi juramentum necessarium, vel etiam judiciale a iudice approbatum, plures a doctoribus assignantur. Prima justa causa est, si actor plene probavit suam intentionem; tunc enim potest is recusare juramentum sibi ulterius oblatum, sive a parte, sive a iudice, non enim potest amplius compelli jurare: c. *Sicut* 2, et c. *In præsentia* 7, de probationibus. Secunda est, si actor nihil probavit, nequidem semiplene; tunc enim reus nequit cogi ad jurandum quamvis actor se obtulerit ad standum ejus juramento: l. *Qui accusare*, cod. de edendo; c. *Cum ecclesia* 3, § *fin.*, de causa possess., et c. *Juramenta* 30, § *Sane*, de jurejurando. Tertia est, si is cui defertur vel referitur ejusmodi juramentum, veritatis ac rei gestæ est ignarus, vel probabilem ejus oblivionem aut ignorantiam allegat: l. *Jusjurandum*, § 1, ff. de jurejurando; l. *Marcellus* § *Qui rerum*, ff. de action. rerum amotar.; Glossa in cap. *Juramenta*, verb. *Nisi justa de causa*. Quarta est, si materia vel causa sit talis, quod super ipsa nequeat deferri seu referri juramentum: tunc enim juramentum merito potest recusari, ut, verbi gratia, in materiis, et causis arduis et magni momenti vel præjudicii, in quibus ob avaritiam hominum magis urget periculum perjurii, gravisque præjudicii proximo injuste inferendi. Sic tenent communiter doctores, cum Pirhing lib. II Decretal., tit. 24, num. 96; Reiffenstuel ibidem, num. 186 et 232. Quinta est, si causa sit criminalis, et agatur criminaliter ad vindictam publicam: tunc enim potest recusari juramentum suppletorium, quia in tali causa probationes debent esse luce meridiana clariores: l. *ultim.* Cod. de probationibus, et necesse est ut reus confessus vel convictus sit, ut condemnari possit: l. *Qui sententiam* 16, cod. de pœnis. Sexta, si actiones vel personæ sint tales quæ coram tali iudice tractari seu conveniri non possint: tunc enim potest recusari juramentum, quia non cogitur quis ibi jurare ubi non potest conveniri: l. *Tutor*, § *fin.*, ff. de jurejurando. Septima est, si persona cui defertur juramentum non teneatur jurare, ut pupillus, procurator, ac defensor rerum alienarum: isti enim non possunt compelli ad jurandum: leg. *Jusjurandum*, § *Pupillo*, ff. de Jurejurando. Octava est si persona deferens prohibeatur alteri deferre juramentum, ut procurator non habens ad hoc speciale mandatum, vel generale mandatum cum libera et plena facultate: l. *Jusjurandum quod ex conventionione*, § *fin.*, de Jurejurando. Item prodigus, et furiosus cum similibus: l. *Tutor*, § *Prodigus*, ff. de jurejurando.

(37. Quamvis omnes homines rationis usu præditi ex natura rei sint capaces juramenti edendi, etiamsi pueri ante pubertatem, prout constat ex c. *Pueris* 1, de delictis puerorum, ubi habetur pueros ante quartumdecimum annum perjuros esse posse, tamen pueri ante ta-

lem 14 annum, seu ante pubertatem non sunt cogendi ad jurandum in iudicio, textu expresso in c. *Parvuli* 13, etc. *Pueris* 5, caus. 22, q. 5, quia, ut dicit sanct. Thomas 2, 2, quæst. 80, art. 10, in corpore, quia nondum habent perfectum usum rationis, quo possint cum reverentia debita juramentum præstare. (38. Imo ad jurandum in iudicio ante talem annum non sunt admittendi, quia nondum tantam rationis discretionem habere censentur, ut eorum juramentum cum partis litigantis præjudicio recipi debeat. Layman Theol. Moral., lib. IV, tract. 3, c. 12, n. 3; Sanch. lib. III, in decalog., c. 3, n. 6; Pirhing lib. II, Decretal., tit. 14, n. 21, et alii passim, arg. l. III, § *Lege Julia*, ff. de testibus, et similibus.

(39. Perjuri ad jurandum in iudicio non admittuntur, cit. cap. *Parvuli* 14, caus. 22, q. 5, et tenet *communis doctorum*, quia, cum semel pejerasse constet periculum et suspicio est eos iterum esse pejeraturos. (40. Item ad jurandum in iudicio non admittuntur infames infamia juris vel facti, usurarii, Judæi, inimici capitales, pauperes suspecti de perjurio, nec ulli alii qui ratione maculæ, seu vitii, aut defectus repelluntur a testificando; arg. c. *Nulli* 3, q. 4; cap. *Constituimus* 3, q. 5; cap. *Testes* 2, q. 7; cap. *Præterea* 8, de testibus cogend. cum similibus; et concordat textus in lege Julia ff. de testibus, cum similibus. Vide verb. *Testes*. (41. Supradicti autem admittendi non sunt in iudicio solum ad juramentum, quod ad honorem, vel favorem jurantis spectat, ut est juramentum purgationis vel probationis supplendæ, vel etiam testimonii ferendi. Juramenta autem quæ potius oneris sunt quam honoris, uti est juramentum calumniæ, et fidelitatis, et hujusmodi, etiam perjuri et alii infames præstare debent, et hoc ne videantur de sua malitia commodum reportare, ut de aliis dicitur in cap. *Intelleximus* 7, de judiciis. Sic Glossa in citat. cap. *Parvuli* 14, caus. 22, q. 5, verb. *Causa*; Sanchez lib. III, cit. cap. 2, n. 5; Layman loc. cit., num. 3; Pirhing. loc. cit., n. 23, et alii passim.

(42. Sacerdotes in levi causa non debent compelli ad jurandum in iudicio, c. *Si quis presbyter* 4, caus. 2, q. 4, ubi expresse dicitur: *Sacerdotes ex levi causa jurare non debent.* (43. In casu tamen necessitatis vel magnæ utilitatis, verbi gratia, ad sui purgationem, vel ad probandam alterius innocentiam, vel ad tuenda sua, vel ecclesiæ suæ jura, quæ alioquin ex defectu probationum graviter lædi vel perdi possent; item pro fide, pace, obedientia, absolutione a vinculo excommunicationis, possunt jurare etiam sacerdotes, ac religiosi. S. Thomas 2, 2, qu. 89, art. 10; Silvester verb. *Juramentum* 2, q. 3; Azorius part. I, lib. XI, cap. 11, quæst. 6; Sanchez loc. c., n. 7; Pirhing lib. II Decretal., tit. 24, num. 22; Reiffenstuel ibidem, n. 25, et communis aliorum; idque desumitur ex c. *Significasti* 4, de election.; cap. *Ad reprimendam* 8, de offic. ordinar.; et habetur expresse decisum in c. *Etsi Christus* 26, de jurejurando, ubi Summus Pontifex Innocentius III solvit etiam contraria, ob quæ aliqui

religiosi, veluti vitæ perfectoris æmulatores, jurare timuerunt, in iudicio pro causis suæ ecclesiæ; et in ejus Summario sic præcise dicitur: *Licite ex causa necessaria etiam per religiosos juratur.* Tum quia Clerici in causis suarum ecclesiarum, imo et in propriis suis causis præstare possunt juramentum calumniæ, c. *Inherentes* 1, c. *Cæterum* 5, de juramento calumniæ. Quinimo in jure ipso canonico est expresse statutum quod non credatur testi, quamvis religioso, nisi juratus deponat, cap. *Nuper* 51, de testibus, ibi: *Respondemus quod nullius testimonio quantumcunque religiosus existat (nisi juratus deposuerit) in alterius præjudicium debet credi,* et in ejus summario sic dicitur: *Non creditur testi etiam religioso qui sine juramento deponit.*

(44. Quamvis autem clerici, sive religiosi, etiam sacerdotes, exigente necessitate, possint juramentum præstare voluntarium coram laico, arg. cap. *Ex rescripto* 9, de jurejurando, et cap. *Pervenit* 2, de fidejussoribus, non debent tamen nec possunt jurare coram laico, tanquam superiore suo exigente ab ipsis juramentum coactivum sive necessarium sine licentia sui Prælati, cap. *Quoties* 21, caus. 22, quæst. 5, ibi: *Juramentum vero clericus laico præstare non debet;* et cap. *Nullus* 22, ead. caus. et quæst. ibi: *Nullus ex ecclesiastico ordine cuiquam laico quidpiam super sacra evangelia jurare præsumat;* et cap. *in Inherentes* 1, de juramento calumniæ, ubi Summus Pontifex Honorius III, postquam adduxit statutum seu constitutionem Henrici imperatoris omnimode prohibentis clericos et religiosos compelli ad jurandum in manibus laicorum, his verbis: « Nos itaque divinæ et humanæ legis intentione servata decernimus, et imperiali auctoritate irtractabiliter definimus, ut non episcopus, non cujuscunque ordinis clericus, non presbyter abbas, non aliquis monachus, vel sanctimonialis, in causa quacunque sive controversia seu criminali seu civili jusjurandum compellatur qualibet ratione subire; sed aliis idoneis defensoribus (si expedire Ecclesiæ suæ noverit) hujusmodi officium liceat delegare, » statim subjungit: « Verum cum hac moderatione, ut episcopus inconsulto Romano Pontifice, vel quisque clericus inconsulto prælato suo, minime jurare audeat. » Sic tenent Sanchez lib. III, in Decalog. cap. 3, n. 8; Silvester verb. *Juramentum* 2, q. 3; Layman loc. cit., num. 5; Pirhing loc. cit., n. 22, et alii passim. Vide verb. *Testes*, art. 1, a. n. 106.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

Omnes juramenti judicialis species persæqui nimum esset. Pauca tantum habebimus de juramento suppletorio, tum de juramento purgatorio.

(45. Suppletorium juramentum non inventeris nostrorum pragmaticorum erroribus, uti Faber de errorib. Pragmatic., decad. 19, err. 1, blaterat; sed juri civili in leg. 31, ff. de Jurejurando, et in leg. 3, cod. eod. confirmato a jure canonico in cap. 2, de Proba-

tionib., originem debet. Consule Seraphin. de Privileg. jurament. Privileg. 33, num. 3.

(46. Est autem juramentum suppletorium, quod a iudice causa cognita, vel reo si suam exceptionem, vel actori, si actionem, licet non perfecte, tamen ad minimum semiplene probavit, ad decidendam hanc causam dubiam imponitur, parte etiam non petente.

(47. Posita semiplena probatione, de qua adeundus Stryk. jurid. dissert., vol. VII, disp. 1, per tot., requisita juramenti suppletorii commodissime ad tres illos juramentorum comites, *veritatem* scilicet, *judicium*, et *justitiam*, referri possunt.

(48. Requiritur igitur *primo veritas*. Hinc juramentum suppletorium super *credulitate* deferri nequit, ut quidquid contradicat Carpozov. Jurisprud. Fovens., part. x, constit. 23, definit. 8, firmant Esbach. Not. in Carpozov. l. c., n. 2; Stryk. de Jur. sensum, in proœmio, num. 39 et seq. Adde Brunem. de process. civil. cap. 23, num. 25. (49. Vide tamen casus in quibus juramentum suppletorium super credulitate deferri potest, apud Bohemer. in Decretal., lib. II, tit. 24, § 72.

(50. Requiritur secundo *judicium*. Hoc desultoriam levitatem in jurando respuit, temeritatemque excludit; e contrario plenam animi deliberationem in jurante exigit, ut cogitationibus negotium accurate perpendat. (51. Oportet igitur jurantem personam esse legalem et fide dignam; quapropter ei contra quem præsumptio est quod falsum dicat juramentum, hoc haud defertur, tametsi semiplenam probationem pro se habeat.

(52. Neque hoc remedium juris semel pejeranti, homicidæ, usurario, condemnato actione furti, injuriarum, aliisque infamia juris et facti notatis conceditur.

(53. Requiritur demum *Justitia*, quæ observatur dum iudex ad hujus juramenti delationem non nisi causa cognita devenit.

(54. Pertinet autem potissimum ad hanc causæ cognitionem ut iudex probe perpendat an causæ qualitas ita sit comparata, ut supplementum hoc probationis admittat. Quædam enim privilegiatam hanc probationem respuunt, et ordinariam probationem desiderant.

(55. Huc pertinent primo causæ *criminales*. Vide tamen limitationes apud Carpozov. de Process., tit. 12, art. 2, n. 73. (56. Secundo causæ *matrimoniales*. (57. Tertio causæ *famosæ*, in quibus condemnatus evadit infamis.

(58. Quinimo in omnibus actionibus civilibus quæ sunt arduæ, quamvis semiplena probatio facta sit, juramento suppletorio locus haud est. (59. Tales sunt *pecuniariæ graves, beneficiales, feudales, causæ, status*, aliæque plures. Confer Minsinger centur. 1; observat. 69; Seraphin. de Privileg. Juram., privil. 33, num. 129 et sequent. (60. Non vero causas hasce haud excludere probationem semiplenam majorem, cum legalitate personæ, pro qua jus præsumit conjunctam, quia tunc demum suppletorium juramentum locum sibi vindicat.

(61. Vide et alios casus in quibus locus

hand datur juramento suppletorio apud Stryk. Juridic. dissert.; vol. VII, disput. 1, cap. 5, § 8, et potissimum volum. XI, disp. 29, quæ est De causis juramentum suppletorium respuentibus.

(62. Num autem contra juramentum suppletorium jam prælitum probatio contrarii admittatur, non levis quæstio est. affirmant tamen Carpozov., Jurisprud. fovens. part. I, constit. 15, definit. 5; Nicolaus Calvolus in Praxi judiciali, § *Sententia definitiva*, conclus. 1, num. 97.

(63. Deveniamus ad juramentum purgatorium. Hoc iudex in causa dubia actori vel reo suspicione, probatione semiplena inferiore gravato, ad eam elidendam imponit, et quidem ex officio.

(64. Quæ autem præsumptiones adesse debeant ut purgatorio huic juramento sit locus, tradunt Lauterbacus, Struvius, alique ad tit. ff. de jurejurando.

(65. An post hujus jursurandi præstationem locus sit probationi contrarii, pariter disputatur, sententiamque affirmativam tenent Setser. de Jurejur., lib. III, cap. 11, num. 45 et seq.; Brunnem. de Proces. civil., cap. 23, num. 38.

(66. Idque non solum si juramentum purgatorium in causa civili prælitum sit, verum etiam si sit prælitum in causa criminali; Mynsiger. Centur. 2, observ. 82, fere per tot.; Tabor. de Confront. disput. 3, thes. 16.

(67. Sequitur hinc quod is qui jure retractus legali uti vult ad elidendam fraudis suspicionem, licet juramento se purgaverit, quod pro se non pro alio retrahat, nihilo tamen minus contra hoc juramentum locus est probationi contrarii: Menoch. de Arbitrar. jud. Quæst., lib. I, quæst. 76, num. 17; Suarez in Thesaur. recept. opinion., lit. I, num. 313. Alia exempla affert Stryk. Juridic. Dissert. vol. VII, disput. 28, cap. 6, § 7.

(68. Omittendum haud est diversum ab hoc purgatorio juramento esse juramentum de veritate dicenda, quod nonnullis in tribunalibus reis indistincte deferebatur ex consuetudine potius quam ex jure. Quocirca prohibitio facta a concilio Romano tit. 13, cap. 62, hujus juramenti de veritate dicenda, non cadit super juramento purgatorio.

ARTICULUS III.

Juramentum promissorium quod ad ea, quæ concernunt ejus interpretationem, obligationem, irritationem, dispensationem, et relaxationem, seu remissionem.

SUMMARIUM.

1. Juramentum in dubio est stricte interpretandum. — 2. Juramentum bona fide et sine dolo generatum prælitum quomodo interpretandum. Ad num. 3. — 4. Juramentum prælitum circa materiam juris quomodo interpretandum. — 5. In omni juramento promissorio quamvis absolute factum, quædam tacite subintelliguntur conditiones, quæ assignantur. Ad num. 10. — 11. Juramentum servandi statuta edita alicujus ecclesiæ, capituli, collegii, communitatis, civitatis, provincie, seu regni quomodo interpretandum. Ad num. 14. — 15. Jura-

mentum promissorium debite factum circa materiam honestam, vel inhonestam, an obliget, vel noa. Ad num. 16. — 17. Juramentum soli Deo factum de opere minus perfecto, vel de re indifferenti an obliget. — 18. Juramentum factum homini, aut ecclesiæ, vel alicui communitati de re honesta et licita, an obliget, et an possit solo jurantis arbitrio commutari. Ad num. 19. — 20. Juramentum promissorium, gravi, et injusto metu extortum an obliget. — 21. Obligatio juramenti, an, et quando transeat ad hæredes vel successores. Ad num. 24. — 25. Juramenta quocunque modo facta a quo irritanda, seu annullanda. Ad num. 34. — 35. Relaxare juramenta, sive directe, sive indirecte ad quos spectet. Ad num. 37. — 38. Quatenus juramentum acibus invalidis adjectum vigorem in praxi habeat. Ad num. 55. — 54. An ex tali juramento hodie detur actio: alia ad rem. Vide v. *Votum*. — Subnectuntur additiones Casioenses plusquam 90 num. comprehensæ. Ponitur in fine formula juramenti quod ab episcopis ante consecrationem Romano Pontifici præstatur prout in Pontificali R. continetur, ubi nonnulla ad rem.

(1. Juramentum in dubio est stricte interpretandum, tum propter gravem, quam in se continet religionis obligationem, tum propter perjuri periculum, adeoque illud, quod palam verbis expressum non est, censetur omissum: I. *Quidquid astringendæ*, ff. de verbor. obligat. ibi: « Quidquid astringendæ obligationis causa dictum est, id nisi palam verbis exprimat, omissum esse intelligendum est, aut certe secundum promissorem interpretandum. » Et hoc colligitur etiam ex cap. *Cum Clerici* 10, de verbor. signific., ubi juramentum a quopiam editum stricte per innocentium III Summum Pontificem interpretatur; et concordat cap. *Contingit* 1, de jurejurando in 6. Et ratio est, quia, ubi agitur de inducenda obligatione, utpote quid odiosum, debet fieri stricta interpretatio: cap. *Odia* 15, de regulis juris in 6, ibi: *Odia restringi, et favores convenit ampliari.* Et sic tenent communiter doctores.

(2. Juramentum bona fide et sine dolo generaliter prælitum est interpretandum secundum intentionem jurantis, neque extendendum est ad incognita, seu ad ea de quibus jurans in specie non cogitavit, et si menti occurrisset, verisimiliter non promississet, sed excepisset: arg. cap. *Veniens* 16, de jurejurando, ubi Innocentius III Summus Pontifex definit non esse servandum quoddam juramentum, quia jurans *nequam taliter jurasset, si mandatum illud sibi contrarium præcivisset.* Et ita docent Glossa ibidem verb. *Præcivisset*; Abbas ibidem, num. 4; Joann. Andr. num. 9; Barbosa num. 4, et alii canonistæ communiter; Pirhing lib. II decretal., tit. 24, n. 109; Reiffenstuel ibid., n. 44, et S. Thomas 2. 2., quæst. 98, art. 2 ad 3, ubi docet quod si quis, verbi gratia, juravit se alteri in omnibus paritum, tale juramentum est interpretandum, dummodo non illicita, vel importabilia, et immoderata, et statui suo obstantia, seu contraria ei præcipiat: arg. cap. *Contingit* 1, § final., de jurejurando in 6, quia in generali promissione non veniunt ea quæ quis verisimiliter in specie non promississet aut promittere non potuisset: arg.